AUGUSTINUS
Italien, Wende 11./12. Jh. Seite 14r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



nisi doceo me sic intelle-
gendum a fidelibus meis.
quomodo equalis sum patri.
hoc qui credunt. digni ha-
bebuntur perduci a fide ad spe-
ciem. id est ad ipsam uisionem
quo perducens dictus est tra-
dere regnum deo et patri.
Fideles quippe eius quos re-
demit sanguine suo. dicti sunt
regnum eius pro quibus nunc
interpellat. Tunc autem illis
eos sibi faciens inherere. ubi
equalis est patri. non iam rogabit
patrem pro eis. Ipse enim
inquit pater amat uos. Ex
hoc enim rogat. quia minor
est patre. quo uero equalis
exaudit cum patre. Unde se
ab eo quod dixit. Ipse enim
pater amat uos. utique ipse
non separat se. sed secundum ea
facit intellegi. que supra
commemoraui. satisque insi-
nuaui. Plerumque ita nominari
unam quamque in trinitate
personam. ut alie illic intel-
legantur. Sic itaque dictum est.
ipse enim pater amat uos.
ut consequenter intellegatur.
et filius et spiritus sanctus. Non quia
modo nos amat. qui proprio
filio non pepercit. sed pro nobis
omnibus tradidit eum. Sed tales
nos amat deus. quales futuri
sumus eius dono. non quales
sumus modo. Quales enim
amat. tales in eternum conseruat.
Quod tunc erit cum tradiderit
regnum deo et patri. qui nunc
interpellat pro nobis. ut iam
non roget patrem. quia ipse
pater amat uos. Quo autem
merito. nisi fidei qua credimus.
ante quam illud quod promit-
titur uideamus. Per hanc
enim peruenimus ad speciem.
ut tales nos amet. quales
amat ut simus. non quales
odit quia sumus. Et ortatur
ac prestat. ne tales esse sem-
per uelimus. Qua discretione
intellegendus sit. nunc equalis
filius patri. nunc autem minor.

Qua propter cognita ista
regula. intellegendarum
scripturarum de filio dei.
ut distinguamus. quod
in eis solet secundum formam dei.
in qua est et equalis patri. Et
quod secundum formam seruiquam accepit.
et minor est patre. Non con-
turbabimur tamquam contra-
riis ac repugnantibus inter se
sanctorum librorum sententiis.
Nam secundum formam dei equalis est patri.